



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 28. Incitamenta humilitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

§. XXVII.

Character superbi.

Superbia quædam elatio est, per quam homo ultra modulum suum extendit se, & sibi jactanter attribuit, quæ sua non sunt. Tum sui figuram, & ideam, quam ipse pulcherrimam, & altissimam concepit, in aliorum mentibus imprimere nititur, genus suum jactans, & dignitates, animique ac corporis dotes, quibus se super cæteros extollit, ac si potentiâ, & magnitudine omnibus antecellat. Altiores autem assumit spiritus, & arrogantiam, si his accedat fervorum multitudo, pretiosa supellex, vestium luxus, gemmarum fulgor, ædium magnificentia & apparatus, pecunia in multos annos reposita, & alia ejusdem generis multa, quæ jactantiæ fomentum præbent, & insolentiæ pabulum subministrant. Ideo magnificos optat titulos, populique plausum, & laudes, tamquam iudicium quod super alios emineat; & de his gloriatur, in his quiescit veluti in summo vitæ hujus bono, de æterna vita nihil sollicitus; Hinc oritur odium, quo quisque averfatur quidquid ipsum deprimat, & reliquis inferiorem ostendit. Hinc fastidium, & moeror, cum in aliqua re quis deprehenditur, quæ propriam excellentiam minuire videatur. Hinc timor continuus, & omnium ferè hominum anxietas timentium, ne opera quæ aggrediuntur infelicem exitum sortiantur: omnes enim videri volunt & laudari; nec immunes ab hoc morbo sunt infimæ plebis homines sordidas & despiciatissimas artes exercentes, nam & proferunt se, & cupiunt ob artis suæ peritiam inter cæteros ejusdem fortis eminere. Ipsimet Philosophi, qui de contemnendâ gloriâ multa præclare scripserunt, effugere superbiam non potuerunt, quam maximè detestati sunt, gloriâ re ipsâ quærentes, quam verbis damnarunt. Occultè siquidem serpit hoc virus, & avulsâ pessimæ arboris radice, adhuc remanent subtilissimæ quædam fibræ, quæ vix à sanctissimis viris deprehendi queunt. Ejus itaque motus accuratissimè observare, ac Dei timore comprimere oportet, & magis veritate, quam falsis hominum laudibus delectari. Fumus è fornace erumpens in altum elevatur, & ingenti globo intumescens splendidissimum solis jubar obnubilat; sed quia caret soliditate, statim in auram dilabitur, & evanescit. Ita superbi, qui se inaniter extollunt nullo, virtutum

fundamento solidati, quanto amplius erigunt se, & in majorem ambitum diffundi saragunt, tanto exiliores fiunt, ac citius deficient, & non apparent. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi & ecce non erat* (Psal. 36: 35.)

§. XXVIII.

Incitamenta humilitatis.

Depravatæ naturæ pondere undique impellimur, & in lubrico positi, stabili gressu stare non possumus, nisi dextera Domini teneat nos. Si à gravioribus flagitiis abstinemus, hoc Dei ope fit, omnem peccandi occasionem misericorditer subtrahentis, alioquin experientiâ magistrâ jam didicimus, quales simus in proximo labendi periculo constituti. Si quid boni in nobis est, id valde exiguum, & imperfectum est, cumque bonum sit ex integra causâ, absque ulla mali admixtione, quis cerò asserere audebit, se aliquod opus aliquandò fecisse, quod ex integro bonum fuerit, & gratum Deo, & non potius innumeris imperfectionibus permixtum? Quis tam sollicitè salutem suam quærit, aut tanto ardore perfectioni incumbit, sicut filii hujus seculi opes quærunt, & dignitates? Certi quoque sumus, nos gravissima commisisse peccata, de quorum remissione incerti, nescimus utrum amore digni simus vel odio: & si speramus veniam à Deo obtinuisse, de dono tamen perseverantiæ securi non sumus, sed omnia in futurum reservantur incerta. Quis verò hæc perpendens gloriari poterit, aut aliquid sibi tamquam proprium usurpare, & in se fiduciam habere? imò quis non timebit? quis non palam & ex corde profitebitur se nihil esse & nihil posse? Sicut aer recedente sole obscurus fit & tenebrosus, ita anima, Deo lucem & opem subtrahente, nihil videt, nihil potest. Hanc veritatem si quis plenè intellexerit, ab aliis item cognosci optabit: cumque verè, & ex animo se omni contemptu, & abominatione dignum aestimaverit, ab aliis quoque despici, & pro nihilo haberi desiderabit; nam si secus faceret, cognitæ veritati repugnaret. Veritas humilitatis comes individua est, & quod magis anima in veritatis cognitione proficit, eò clariùs videt se nihil esse, & nihil posse.

§. XXIX.